

hit: quia nullus potest dare alteri, quod non habet; omnis autem validè contrahens dat alteri jus ad rem aliquam vel actionem; ergo ipse debet habere jus illud; & consequenter non debet esse alienum, sed aliquo modo scil. vero vel præsumpto titulo quoad dominium directum vel utile proprium alienanti, adeò ut nullus contractus de re simpliciter aliena possit esse validus, vi cuius transferatur dominium vel jus etiam imperfectum in accipientem, licet possit esse aliquo modo validus secundum quid, in quantum parit danti obligationem indemnificandi bonâ fidei accipientem rem alienam.

DISPUTATIO XXXI.

De emptione & venditione.

POst contractus in genere primò nominatissimus & communissimus inter contractus onerosos occurrit emptio & venditio, que in jus gentium introduxit ob necessitatem, cui aliis contractibus sufficienter succurri non potest: cum sàpè indigeat quis re, qui alteri rem vicissim, quæ ipsi commoda sit, tradere non possit, unde generalis quædam pecuniae ergà mercem permutatio inventa est, licet autem regulariter nemo alterius necessitati succurrere debeat vendendo, aliquando tamen vel ob communem vel ob privatam causam vendere debet aliquis rem suam v.g. tempore famis, ob exigentiam Religionis aut boni communis ad struendam Ecclesiam, extendendam viam publicam, ut alius privatus possit utire suâ, quæ alias ipsi foret inutilis, aut si ex communione rei oriatur contentio in his & similibus casibus, ut necessitati vel publicæ utilitati consulatur etiam ad contractum emptionis & venditionis potest aliquis à publica potestate cogi.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quid emptio & venditio & quæ obligatio?

DICO. Instantum ad justitiam voluntaria translatio pertinet, in quantum est ibi aliquid de ratione debiti: quod quidem contingit... uno modo, quando quis transfere simpliciter rem suam in alterum pro recompensatione alterius rei, sicut accidit in venditione & emptione. S. Th. hic Q. 61 A. 3. O.

Explico: Ex solo consensu legitimo ementis & vendentis obligatio tum ementi ad tradendum pretium tum vendenti ad tradendam rem ejusque evitatem præstandam oritur.

Prima Pars probatur. Ex hâc communi descriptione emptio & venditio est contractus bonæ fidei, ultrò citroque obligatorius, qui consensu, re, & pretio perficitur: sive: in quo venditor cum emptore de re sive merce pro pretio paciscitur, & quidem quatenus in ex pro pretio datur est venditio, quatenus pretium pro re offertur est emptio. *Dicitur 1.* Contractus bonæ fidei: ubi contractus est genus respectu contractuum stricti juris à quibus per particulas bonæ fidei differt. *Dicitur 2.* Ultrò citròque obligatorius: quia emptor obligatur ad pretium solendum venditori, & econtrà venditor ad rem tradendam emptori, per quod distinguitur à contractibus gratuitis, qui ex unâ tantum parte obligant. *Dicitur 3.* Qui consensu perficitur: hic enim contractus quoad substantiam solo consensu exterius expresso perficitur, neque indiget rei traditione, ut mutuum, commodatum, depositum, pignus &c. quæ præter consensum postulant rei traditionem, ante quam consensus non efficit substantiam illorum contractuum, porrò hic contractus perficitur solo consensu quoad substantiam sive essentiam, ita ut post

post consensum mutuò præstitum neutra Pars pœnitere possit ; non tamen perficitur quoad integratam completam vel quoad contractus complemētum, ad hoc enim etiam requiritur solutio pretii ex parte emptoris & traditio mercis ex parte emptoris & traditio mercis ex parte venditoris. non etiam est necesse, ut per venditionem actu transferatur dominium, sed sufficit, quod de se sit translativa dominii, sive, quod sit titulus, ex quo per se loquendo facta traditione transferatur dominium in emptorem, licet per accidens, quia vendens non fuit Dominus rei venditæ, per traditionem non transferatur dominium. Ac ita venditor vi factæ & acceptatæ venditionis sit obligatus ad transferendum dominium, ipsam autem dominium rei venditæ transfertur in emptorem, non quidem quando fit contractus venditionis per mutuum consensum, sed quando res traditur à venditore & pretium solvit ab emptore, vel pro soluto habetur, vel loco illius datur æquivalens quale est pignus, fidéjussor &c. aliquando tamen etiam sine traditione rei venditæ transfertur dominium in emptorem in illis scilicet casibus, in quibus juris fictione res tradita censetur absque reali apprehensione possessionis, Exempla habentur §. interdum 44 instit. de R. D. lib. 2. tit. 1. *Dicitur* : de re & pretio, ubi per rem intelligitur merx : hoc est aliquid pecuniâ æstimabile, sic enim latius accepta merx est correlativum pretii & comprehendit rem im- & mobilem, jura, nomina debitorum, servitudes & similia, quæ pretio sunt æstimabilia, sub venditionem cadunt, per pretium intelligitur nummus sive pecunia, quæ lege & autoritate publicâ omnia numerat & adæquat, res igitur sive merx & pretium sunt partes materiales, consensus vero contrahentium est veluti forma contractus

emptionis, & per mercem & pretium distinguitur venditio à permutatione, in quâ datur res pro re, merx pro meree, à cambio, in quo datur pecunia pretium pro pretio, à locatione, in qua non propriè pretium sed pensio pecuniaria intervenit. Debet autem certum pretium constitui juxta §. I. instit. lib. 3. tit. 24. de emptione. Licet sit valida venditio, in quâ determinatio pretii relinquitur certæ persona, modo illa postea pretium determinaverit, & sit distincta ab emprore, quia venditio, in quâ definitio pretii in voluntatem emptoris remittitur, non valet L. quod sèpè 35. §. I. ff. de contrah. empt. lib. 18. tit. I. Sicut autem pretium debet esse determinatum, ita etiam merx & quidem debet vel actu in rerum natura existere vel saltem sperari futura: ut fructus agri, fœtus animalium.

Secunda Pars explicatur: Emptor tenetur ex contractu emptionis solvere pretium & quidem seclusa omni particulari conventione, si mutata sit pecunia in valore extrinseco, debet solvere pretium juxta valorem, quem pecunia habebat tempore contractus, & non quem tempore solutionis, ità ut qui emit mercem pro imperiali, qui tempore contractus valebat sex Capitellis, si tempore solutionis tantum valeat quatuor, obligatus est solvere imperialem & duo Capitella. *Ratio est:* quia, nisi tali modo fiat solutio, non habetur æqualitas pretii ad mercem, cum minus solvatur, quam tempore contractus merx valebat.

Tertia Pars explicatur: Venditor obligatur rem venditam emptori tradere, & ordinariè præstare evictionem id est: si tertius rem venditam evincat esse suam vel tibi esse obligatam ratione ususfructus aut alicujus servitutis rusticæ vel urbanæ, quæ tamen ut libera est vendita ex L. I. §. 16. ff. lib. 21. tit. 2.

de evict. tenetur venditor emptorem ordinariè servare indemnem. Dixi ordinariè: quia in quibusdam casibus non obligatur. 1. Si emptor non laudavit venditorem hoc est ut Juristæ explicant: si emptor non denuntiavit tempestivè venditori liteim esse motam, ut rem suam possit defendere, excipe nisi emptor fuerit minor vel Ecclesia. 2. Si emptor catus & propter suam contumaciam quia non compatuuit, causam perdidit. cap. fin. de empt. & vendit. lib. 3. tit. 17. 3. Si venditore absente emptor à sententia non appellavit. 4. Si emptor per ini quam Judicis sententiam rem perdidit L. 8. C. de evict. quia tunc habent actionem contrà Judicem. 5. Si per vim extrà judicium emptor re venditâ spoliatur. ubi valet, quod dicitur L. si per imprudential. 6. ff. de evict. *Injuria enim, qua sit emptori, aucto riorum non debet contingere.* 6. Si emptor compromisit & sententia contrà illum est lata. L. 55. 6. I. ff. de evict. 7. Si potuit emptor rem usu capere & non fecit. L. cit. §. 30. 8. Si sciens rem alienam illam emit & non cavit sibi specialiter de evictione. L. 27. C. de evict. lib. 8. tit. 45. Denique si venditor bona fide putans rem esse suam expressè convenit cum emptore, ne de evictione teneretur.

*Q. I. Ad quem pertineat periculum & commo-
dum rei venditæ ante traditionem?*

R. Si fuerit perfecta & absoluta venditio rei spe-
ciatim venditæ , omne emolumentum & periculum
etiam ante traditionem est penes emptorem constat
obligatur ex pluribus LL. lib. 18. tit. 6. ff. & lib. 4. tit. 48. de
linariè prædicto periculo & commido rei venditæ . Estque hæc no-
nuditam evincitabilis exceptio juris à Regula generali : quod res
ne ususfructu suo Domino pereat & fructificet ; unde quamvis ven-
ditor , quædam ditor , juxta dicta , maneat Dominus usque ad tra-
ditionem , non tamen ei , sed emptori ex constitu-

tione juris res ita vendita fructificat aut perit, ita ut
empor, et si rem nactus non fuerit, debeat pretium
solvere, quidquid etiam sine dolo & culpa lata & levi
venditoris completâ venditione rei venditæ accidit in eo
securus est venditor. *Dixi 1.* Perfecta venditio: pre-
tio enim non dato nec fide de illo habitâ, aut non scrip-
to contractu, si Scriptura sit perficiendus, periculum
pertinet ad venditorem; similiter quia emptio imper-
fecta censetur, quando res vendita mensurari aut gu-
stari est solita & non est mensurata aut degustata, dum-
modo emptor non fuerit in mora, periculum est penes
venditorem. Econtrà si res ad corpus vendatur, sta-
tim periculum & commodum est emptoris, tunc au-
tem aliquid venditur ad corpus, quando aliquid deter-
minatum venditur unico pro toto designato pretio:
ut vendo tibi illud prædium, totum gregein, vas vini
pro tali pretio. Venditur verò ad mensuram, quando
non venditur unico pretio pro tali re, sed pro quâcun-
que mensura pretium assignatur v.g. vendo tibi vas vini
pro tot imperialibus per Aimam, gregein pro tot im-
perialibus per capita; Porrò si communi conventione
statuatur terminus ad mensurandum & numerandum,
res ei perit, qui fuit in morâ, & damnum quod alter
patitur, debet is, qui fuit in morâ resarcire. *Dixi 2.*
Venditio absoluta. si enim sit conditionata, pericu-
lum peremptionis, non autem deteriorationis specta-
bit ad venditorem usque dum conditio impleta fuerit
L. necessario 8. ff. de periculo & commodo rei vendi-
tæ in quâ § quod si dicitur: *sicuti stipulationes & le-*
gata conditionalia perimuntur, si pendente conditione
res extincta fuerit, sanè si extet res, licet deterior ef-
fecta, potest dici esse damnum emptoris. *Dixi 3.* Rei
speciatim venditæ: id est: rei determinatæ & indivi-
dualis; si enim vendatur res indeterminatæ & in genere
v.g. vendo tibi centum Maldera Siliginis vel decem

ovis non determinando gregem vel cumulum frumenti, periculum & commodum pertinet ad venditorem; si vero res vendita est determinata in specie, non autem in individuo vel est indeterminata ex aliquo determinato v.g. vendo decem oves ex hoc grege, decem maldera ex hoc cumulo, si pereat totus grex, pereunt etiam emptori decem oves, si verò non totus grex, sed vel decem oves remanent, id quod periit venditori periit & reliquæ oves manent emptori salvæ; denique si sub disjunctione hæc vel illa ovis ex hoc grege fuit vendita, si vel una maneat, manet emptori, si autem utraque periit, una quoque periit emptori & pro hâc tenetur premium solvere.

Q. 2. Quid si rem emptam alter retrahat?

R. 2. Emptor rei immobilis tenetur cedere rei emptæ, si alius habens jus retrahendi emptionem retrahat: jus enim retrahendi est jus lege vel consuetudine introductum, quod habet consanguineus rem immobilem ab aliquo de familiâ venditam, vel ille, cum quo specialis est inita de retrahendo conventio, aut cui hoc ex lege vel consuetudine competit rem redimendi & ad se retrahendi pretio emptori soluto, quod si consanguineus sit alio propinquior, præfertur, si plures in eodem gradu concurrant, præfertur is, qui præoccupavit offerendo premium & citando emptorem, quod jus consanguineis competit sub sequentibus conditionibus. 1. competit illis solis, qui possunt emere, est enim retrahens propriè dicta emptio. 2. Illegitimè non admittuntur ad retractum: quia ad illos non pertinet conservare familiam nisi legitimentur. 3. Ille, qui retrahit, debet realiter emptori offerre premium, quod ipse dedit vel quod alius consanguineus etsi ipso remotior, dare vult, nec sufficit habere fidem de pretio. 4. Si emptor expensas fecit, illæque fuerunt utiles & necessariae, retrahens tenetur easdem refundere, econtrâ si tantum

voluntuariæ , emptor eas una cum fructibus ante retractionem perceptis afferre potest vel retrahenti gratis dare. s. Jus illud retractus non durat nisi per annum & diem , intra quod tempus , si nemo retrahit , possunt omnes excludi ; attendenda sunt in hoc tamen statuta particularia locorum ; Religio propter filium professum non potest retrahere : quia ipsius non est conservare familiam , sicut neque vicissim ea , quæ consanguineus contulit religioni , retrahi possunt ab aliis consanguineis , quia desierunt esse bona familiæ.

QUÆSTIO II.

An venditor obligetur manifestare vitia?

VItium sive defectus mercis potest esse triplex :

1. Substantialis : dum una substantia venditur pro alia v.g. vitrum pro gemmâ , & tunc constat ex precedentibus , quod contractus sit nullus.
2. In quantitate : ut in mensurâ , pondere , staterâ dolosis , & tunc contractus quidem est validus quoad illud , quod traditur , sed est obligatio vel illud quod deest superaddendi , aut tantum ex pretio restituendi.
3. In qualitate , & hic defectus vel est intrinsecus : quia qualitas aliqua intrinseca deficit : v.g. quia vinum non est generosum vel extrinsecus : quia mercis premium propter advectionem plurimum est minuendum , de hoc ultimo defectu constat quod pro majoritate defectus premium rei emptæ sit minuendum , queritur hic an & qui defectus à venditore emptori sint manifestandi.

DICO. Judicium non potest fieri nisi de re manifestâ... unde si vitiareti , quæ vendenda proponitur , sint occulta , non sufficienter committitur emptori judicium : securus autem esset , si essent vicia manifesta S. Th. hic Q. 77. A. 3. ad 1.

Probatur Conclusio generaliter : in nullo negotio licet

licet proximum decipere aut circumvenire , sed tan-
tum servatā justitiae qualitate suo commodo inten-
dere , atqui si vitia occulta , quæ proximus , cui
res venalis exponitur , per se advertere non potest,
non manifestantur , cum emens expressè vel inter-
pretativè petat , uti petere videtur , dum sese since-
ritati & fidei vendentis committit , ipse decipitur &
circumvenitur , & econtrà si vitia manifesta sint,
vendens rem justo p̄terio ei , qui vitia advertit , vel
facilè advertere potest , servatā justitiae æqualitate
suo commodo intendit ; cum enim vitium rei sit
manifestum & omnium oculis obvium , non deci-
pitur emptor , neque in conscientia tenetur eum
de vitio monere , nisi tam stupidus esset emptor , ut
per se vitium vel defectum advertere non posset,
tunc enim esset respectu emptoris idem , ac si
vitium esset occultum , sive autem sit vitium mani-
festum , sive occultum , quod justè celatur , requi-
rit justitia , ut non pluris vendatur res quam valeat
cum tali vitio.

Ex his infertur 1. Si emptor re tempore venditio-
nis vitium rei scivit , aut quia à venditore est moni-
tas , aut quia ipse illud advertit , vel si venditor ge-
neraliter sit protestatus , se vendere rem sicuti est ,
nec velle se obligare periculo , si forsitan res habeat
defectum occultum vel vitium , valida est emptio ,
non obstante , quod postmodum defectus appareat.
Ratio est : quia hoc casu emptor emit rem suo peri-
culo , debet tamen tunc illud vitium etiam vendito-
ri esse occultum , quia si illud vitium sciret vendi-
tor , & subdolè hanc conditionem apponenteret , equi-
dem absolute teneretur satisfacere : quia fraus sua
nulli debet patrocinari.

Infertur 2. Si venditor de vitiis occultis interro-
gatus ea non manifestet , tacendo committit frau-
dem.

dein & circumvenit emptorem putantem vitium, si quod esset, sibi manifestandum; quare emptor habet actionem redhibitoriam adversus venditorem, ut restituatur pretium, si rem cognito tali vitio non emisset, & haec durat per sex menses, quod si emptor emisset quidem, sed non tanti, habet actionem estimatoriam sive quanti minoris adversus venditorem, ut reddatur pretium quoad excessum, & haec durat per annum l. 2. cod. de ædilit. a. lib. 4. tit. 58. cum tunc quoad illam saltem partem dolus dederit causam contractui, idem est si venditor singulari artificio vitia mercis, quæ apparerent regit.

Infertur 3. Si res vendenda ob occultum vitium erit emptori damnsa, tenetur illud venditor etiam non interrogatus aperire, alias enim non tantum obligabitur ad excessum pretii restituendum, si etiam ad omne damnum emergens & lucrum cessans ex S. Th. hic Q. 77. A. 3. in O. dicente: venditor qui rem vendendam proponit, ex hoc ipso dat emptori damni vel periculi occasionem, quod rem vitiosam ei offert, si ex ejus vitio damnum vel periculum incurrere possit, damnum quidem, si propter hujusmodi vitium res, quæ vendenda proponitur, minoris sit pretii; ipse verò propter hujusmodi vitium nihil de pretio subtrahat. Periculum autem, si propter hujusmodi vitium ususrei reddatur impeditus vel noxius putat, si aliquis alicui vendat equum claudicantem pro veloci vel ruinosam domum profirma vel cibum corruptum sive venenosum pro bono, unde si hujusmodi vitia sint occulta & ipse non detegat, erit illicita & dolosa venditio, & tenetur venditor ad damni recompensationem.

Infertur 4. Si res non obstante vitio foret tam bona & commoda emptori; v. g. si merces euro-

pæz ad finem, ad quem venduntur, sint æquè bona, ac orientales; si vinum crescentiae minus dignæ sit æquè bonum, ac crescentiae dignioris; si admixtio alterius alicujus materiae non impedit notabilem utilitatem & commoditatem mercis, non facit venditor injustitiam hoc vitium non aperiendo: undè S. Th. l. cit. cum usus rei, et si non competit venditori, potest tamen esse conveniens aliis, & ipse (intellige venditor) propter hujusmodi vitium subtrahas, quantum sopportet, de pretio non tenetur ad manifestandum vitium rei: quia forte propter hujusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio, quam esset subtrahendum. Unde potest licite venditor indemnati suæ consulere vitium rei reticendo.

Nec obstat: quod emptor forsitan non emisset rem, si scivisset hujusmodi vitium; quia error concomitans non vitiat contractum, nec reddit illum illicitum; non enim voluntas conditionalis contractum vitiat, alias si teneret frivolum illud: si scivisset: nulli forte contractus forent firmi.

Infertur 5. Si aliquis ad certum usum rem vendat, ad quem venditor ob occultum vitium novit esse inutilem, tenetur vitium manifestare & illo non manifestato tenetur ad damnum securum. *Ratio est:* quia venditor eo ipso, quo exponit rem venalem ad illum finem, debet ex officio notabiles rei defectus exponere, alias fraude circumvenit fratrem suum contrà prohibitionem Apostoli 1. ad Tessalonenses 4. v. 1. si quis igitur ad medicinam indigeret vino purissimo, pro quo mercator venderet vinum lymphatum, teneretur venditor de damno secuto, dum dolus dedit causam contractui.

Infertur 6. Si venditor ipse notabilem defectum rei venditæ absque sua culpa ignoret, reatum formalem fraudis & injustitiae non incurrit; si ta-

men ad ejus notitiam perveniat, tenetur dānum illatum resarcire, idem est si erraverit inculpabiliter in mensura, postmodum advertens dānum, tenetur redintegrare mensuram, ut sit æqualitas inter mercem & pretium; quæ dicta sunt de venditore quoad obligationem manifestandi vitium mercis, proportionaliter applicanda sunt emptori quod ad manifestandum vitium pretii; immo emptor sciens pretium mercis venditori illud ignorantis manifestare debet, vel saltem in pretio tantum ascendere, ut æqualeat valori mercis sibi noto, sic si emptor intelligat venditorem pretiosas merces pro vilibus vendisse aut in rerum vilium qualitate, quantitate, vel pretio cum suo dāno fuisse deceptum, teneatur admonere venditorem.

Nec obstat licitum esse medico emere fasciculum herbarum à rustico vili pretio, in quo tamen novit contineri herbam pretiosam; quia fasciculus ille in communi æstimatione est vilius pretii; cum herba illa ad communem usum patvi æstimetur; quod autem medicus notitiam illius herbae habeat in ordine ad conficiendam medicinam, industriæ medici est adscribendum, quæ nemini hoc casu debet esse nociva.

Q. An vendor teneatur vitium extrinsecum manifestare?

R. Vitium extrinsecum mercis: v. g. quod sciat ejus pretium propter abundantiam brevi futuram esse notabiliter minuendam, non est obligatus vendor manifestare, neque ob hoc minori pretio vendere tenetur ex. S. T. hic Q. 77. A. 3. ad 4. respondentem: quod non sequatur venditorem vitia rei venalis celare posse absque fraude & injustitia, eo quod triticum deferens ad locum, ubi fervet frumenti caritas, dissimulare possit frumenti copiam

à multis

à multis aliis brevi avehendam , dat ratione in ; Quod vitium rei facit rem in praesenti esse minoris valoris , quam videatur : sed in casu præmisso res in futurum exspectatur esse minoris valoris per superventum negotiatorum , qui ab euentibus ignorantur , unde venditor , qui vendit rem secundum pretium , quod inventit , non videtur contra justitiam faceres , si quod futurum est , non exponat ; si tamen exponeret vel de pretio suberaberet , abundantioris esset virtutis , quamvis ad hoc non videatur teneri ex justitia debito ; Idem applicandum est emptori , qui emit mercem , quam novit proximis diebus multum augendam in valore ; vel etiam si mercem solvat pecunia , quæ modo adhuc tanti valet , licet sciat brevi illius valorem ex decreto Magistratus minuendum.

Q U A Æ S T I O III.

An licet rem vendere quanti possumus ?

Nota I. Justum pretium appellatur , quod vel publicâ Authoritate vel prudentum æstimatione est constitutum , aliud dicitur *legitimum* , aliud *naturale* vel *vulgare* , legitimum est , quod lege vel decreto principis à republica est constitutum ; naturale est , quod communi hominum judicio pensatis circumstantiis imponitur . Legitimum consistit in indivisibili , ideoque si excedatur à venditore , si illud sit taxatum in favorem emptorum , vel ab emptore dando minus , si illud sit taxatum in favorem venditorum , parit onus restituendi , naturale triplex est : infimum , medium & summum ; cum enim determinatio certa graduum ob rerum vel commerciorum & circumstantiarum varietates definiri nequeat , illud sumnum pretium vocabitur , quod , si res æstimetur moderate centum imperialibus , est quinque supra centum , & hoc infimum , quod est quinque infra centum .

No-

Nota 2. Rerum pretia ex variis causis crescere & decrescere possunt: possunt enim crescere. 1. Si merces subhaestentur & exponantur plus offerenti, tunc enim censetur justum pretium, quod sepositâ fraude ultimâ offertur, etsi sit infra vel supra dimidium justo; cuius *Ratio est*: quod ille excessus censeatur in hoc extraordinario foro ab emptoribus condonari venditoribus & econtrâ; huic enim periculo censetur se venditor objicere, quod sicut comparentibus pluribus licitantibus, possit subhaestata res licitando pluris vendi, ita iis deficientibus possit minoris vendi, adeoque oblato pretio sepositâ fraude censemur esse contenti. 2. Ratione lucri cessantis & damni emergentis: ut si hodie rem vendas, quam cras aucto pretio posses vendere. 3. Ob labores & expensas factas in rei asportatione. 4. Ob copiam emptorum vel mercium raritatem.

DICO: *Lex humana cogit ad restituendum, si aliquis sit deceptus ultrâ dimidiâ justi pretii quantitatem ... secundum divinam legem illicitum reputatur, si in emptione & venditione non sit aequalitas justitia observata ... justum pretium non est punctualiter determinatum, sed magis in quadam estimatione consistit: ita quod modica additio vel minutio non videtur tollere aequalitatem justitia.* S. Th. hic Q. 77. a. I. O.

Ima Pars probatur: Ex L. rem 2. Cod. de rescind. vend. lib. 4. tit. 44. Rem majoris pretii, si tu vel Pater tuus minoris distraxerit, humanum est ut vel pretium te restituente emptoribus fundum venundarum recipias Authoritate judicis intercedente: vel si emptor elegerit, quod deest justo pretio, recipias. Minus autem pretium esse videtur, si nec dimidia pars veri pretii soluta sit. Cui consonat cap. cum causa 6. de empt. & vend. lib. 3. tit. 17, quæ jura, licet non faciant li-

citam

citam venditionem aut emptionem infrà vel suprà ju-
 stum pretium , attamen nullam dant actionem decepto,
 nisi sit ultrà dimidium deceptio, quo casu in arbitrio alte-
 riis est, ut vel rem restituat recepto pretio vel augeat pe-
 cuniam ut æquet justum pretium cap. cum dilecti 3. de
 empt. & vend. sed dubium est, quæ læsio sit ultrà dimi-
 diū quoad emptorem , cum citata jura non faciant men-
 tionem de emptore , consentiunt enim AA. quod læsio
 sit ultrà dimidium in venditore , si nequidem dimidiā in
 partem justi pretii acceperit v. g. si rem valentem cen-
 tum imperialibus vendiderit infrà quinquaginta. Sed
 quoad emptorem requirunt multi ut ultrà alterum tan-
 tum v. g. pro re valente centum imperialibus dederit
 ultrà ducentos : moventur : quia vendor est læsus
 ultrà dimidium , si non receperit medium partem ejus,
 quod dedit , ergò etiam emptor est ità læsus , si non
 acceperit dimidium ejus , quod dedit ; atqui nisi emp-
 tor pro re valente centum imperialibus dederit ultrà
 ducentos , jam habet dimidium ejus , quod dedit , in
 æquivalenti videlicet in re emptâ sibi traditâ. Verum
 sententia opposita videtur non tantum æquior , sed
 etiam rationi juris conformior , videlicet : quod emptor
 censeri debeat læsus ultrà dimidium , si ultrà medietatem
 justi pretii superaddiderit v. g. pro re valente 100. de-
 dierit ultrà 150. *Ratio est :* quia in contractibus ser-
 vanda est æqualitas ; atqui nisi hoc modo læsio æstima-
 tur in emptore in contractu emptionis & venditionis,
 inter emptorem & venditorem non servatur æqualitas ,
 emptor enim non restitueretur si dedisset pro re valente
 centum ultrà 150. quod est intrà medietatem justi pre-
 tii & vendor restitueretur , si pro re valente 100. ac-
 pisset infrà 50. *Non obstat :* ratio prior , quia Jura non
 attendunt ad illud , quod utrimque datur & recipitur ,
 sed ad valorem rei venditæ , pro quâ verè emptor præ-
 ter æstimationem rei dedit ultrà medietatem valoris , si-

cut

cut venditor læsus non recepit medietatem valoris.

Secunda Pars probatur: Jus naturale & divinum exigit æqualitatem, ut tantum detur, quantum accipitur, unde pro foro conscientiæ justum debet dari pretium, quod si excedat exigendo venditor, vel si notabiliter minuat emptor, tenetur quilibet alteri ad compensationem. Ubi differentia est inter pretium vulgare, de quo conclusio procedit & legitimum: quoad vulgare licitum est emere pretio infimo & summo: quia quamdiu non exceditur taxatum pretium, tamdiu servatur æqualitas inter datum & acceptum; ergo si tantum inter duos sit conventum de pretio infimo, non potest venditor sine injustitiâ & fraude tantum v. g. ex mensurâ demere, ut res vendita accedat ad summum pretium, est pactus, suâ deceptione non potest venditorem adigere ad infimum pretium; quia tunc conventio ponit mensuram pretii, quam non licet absque injustitiâ excedere. Sed quoad pretium legitimum id est: Authoritate Magistratus taxatum: hoc omnibus est observandum quamdiu non constat de illius injustitiâ: quia Magistratus habet potestatem pro bono communi taxandi pretia rerum & ponendi pretium indivisibile rerum venalium; sicut igitur in aliis rebus & præceptis bonum commune concernentibus omnia reipublicæ membra ad legis observationem adstringuntur, ita etiam ad legis pretia taxantis observantiam, ita quidem ut excedens tale pretium non tantum peccet contra obedientiam sed etiam contra justitiam; quia pretium taxam excedens est injustum; licet enim liceat mercatoribus ob expensas in comparandis mercibus factas easdem carius vendere, quando illæ non sunt pretio legitimo taxatae, non tamen si habeant pretium taxatum in illo loco in quo vendunt, ubi proinde tenentur vendere pretio currente, sive plures, sive pauciores expensas fecerint: in ipsâ enim constitu-

stitutione pretii censentur pensati labores & expensæ ordinariæ.

Q. 1. An ob dilationem solutionis liceat ultra summum pretium vendere?

R. Nunquam licet supra summum pretium aliquod accipere, licet solutio differatur in futurum, nisi forte ratione damni emergentis vel lucri cessantis, aut ratione periculi vel forte difficultioris solutionis, quæ pretio possunt æstimari, adsit titulus plus exigendi. *Ratio est:* quia accipiendo ultra summum non servatur æqualitas, in dilatione autem solutionis intervenit contractus tacitus mutui; sicut autem res carius vendere ob dilatam solutionem pretii est usura, ita etiam ob anticipatam solutionem rem vilius emere, quam valitura sit tempore traditionis per se loquendo est injustum; siquidem pretium rei debet esse commensuratum merci pro tempore traditionis.

Q. 2. Quid si nec lege, nec communī æstimatione taxatum sit rei pretium?

R. Quando res vendenda ob raritatem non habet taxatum pretium v. g. canis indicus, justum rei pretium non est id, quod vendor pro suo libitu imponit, vel quod emptor ex speciali affectu excessivè ostendit, sed quod prudens æstimatio dictat; quia in defectu vulgaris & legitimi pretii determinatio non est penes particulare vendentis judicium aut ementis affectum, sed penes peritos æstimatores; quia alias vendentium fraudi & cupiditati nimium frœna laxarentur.

Q. 3. An ob necessitatē possit justè augeri vel minui pretium?

R. Sola necessitas vendentis vel ementis non est sufficiens titulus, ut res carius vel vilius vendatur aut emantur, alias indigentes, qui ex necessitate res suas vendunt, vel alienas emunt, semper tenerentur viliori pretio vendere & cariori emere, quod manifestè est injustum;

stum; tunc tamen potest ex necessitate decrescere pretium, quando est causa quod aliquis rogatus rem sibi non adeò commodam emat, alias fortè non empturus, quomodo divites pauperum operas vilius conducere solent, quando ab iis rogantur, ut cibum præbeant, quem nec otiosis præbere volunt, nec labor attenta utilitate exinde proveniente pluris aestimatur.

Q. 4. An liceat monopolium?

R. Monopolium communiter est illicitum, vel quia est contra justitiam, si per illud inducatur excessivum pretium, vel ad minus contra charitatem: eò quod emptores cogantur pluris emere propter monopolium, aut etiam contra bonum commune, quod alii mercatores impedianter commercia exercere; sit autem monopolium sequentibus modis: 1. Si mercatores inter se conspirent, ne quis minoris merces vendat. 2. Si faciant, ut ipsi soli merces vendant, & si hoc fiat auctoritate Magistratus, potest esse licitum. 3. Si certas res supprimant, donec earum pretium multum creverit. 4. Si impedianter similes merces aliunde importari. Ad monopolium etiam pertinet si artifices inter se conveniant, ut opus ab uno cœptum ab alio non perficiatur & generaliter omnes conspirationes privatorum de querendo suo commodo cum detrimento boni communis.

QUÆSTIO IV.

Quoniam sunt pacta sub quibus fieri potest venditio?

DICO: *Quod pro communi utilitate inductum est, non debet esse magis in gravamen unius, quam alterius: & ideo debet secundum aequalitatem rei inter eos contractus institui.* S. Th. hic Q. 77. a. 1. O.

Explicatur: Possunt aliqua pacta emptioni adjici ex generali regulâ, quâ contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur: omissis enim vis & valor

contra-

contractus dependet à legitimâ voluntate contrahentium, ergo emptio & venditio sub tali modo obligant, quo eandem contrahentes obligare voluerunt, modo servetur æqualitas, nec unius conditio absque expresso vel tacito spontaneo alterius consensu fiat melior, quam alterius: quâ æqualitate servatâ adjiciuntur ab ementibus & venditionibus licite varia pacta, inter quæ in jure exprimitur

1. Pactum addictionis de quo agitur lib. 18. tit. 2. ff. de in diem addict. quod sit, quando statuitur certum tempus à contrahentibus, intra quod nisi aliis tertius pretium auxerit, res primo emptori addicitur, vel datur irrevocabiliter, invento autem, qui plus offert, nisi prior emptor etiam tantum dare velit, res datur secundo emptori.

2. Pactum legis commissoriæ, quod est, quando convenitur, ut nisi intra certum tempus vel diem ab emptore pretium fuerit solutum res sit inempta. De hoc agitur lib. 18. ff. tit. 3. de leg. commis.

3. Pactum retrovendendi, quod est, quando res aliqua sic venditur, ut emptor obligetur illam rursus vendere suo priori venditori vel ad certum tempus vel quandocunque venditori placuerit; quod pactum etiam tunc est, quando emptor rem emit, ita ut obliget venditorem vel ad certum tempus vel quandocunque emptori placuerit rem redimere. Si primo modo adjiciatur, est in favorem venditoris, si secundo modo, est in favorem emptoris, aliquando etiam sic adjicitur, ut penes utrumque sit potestas dissolvendi contractum, & tunc est in utriusque gravamen vel favorem.

4. Est pactum locationis, quod contingit, dum venditor emptori rem emptam sub certâ pensione elocat usque dum pretium solvat, quo soluto cessat locatio & acquiritur rei dominium.

2.2. Theol. Schol. Pars posterior. P Om.

Omnia hæc pacta licita sunt & justa , dummodo si onus imponatur venditori , augeatur pretium , si autem emptori minuatur , & non intercedat mutuum virtuale ob periculum usuræ , undè damnata est ab Innocent. XI. hæc propositio 40. *Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ , Et cum contractu retrovenditionis præviè initio cum intentione lucri ; ut hæc propositio intelligatur , adverte : quod hic contractus contingat , quando quis indigus pecuniae , quam nullibi potest accipere mutuo , emit credito à mercatore summo pretio merces aliquas , illasque , quia iis non indiget , eidem mercatori , postquam emit , statim revendit , ut retento sibi pretio necessitati suæ consulat , & interim summum pretium mercatori debeat , qui contractus , quia solvitur in mutuum virtuale pretii præsentis retenti ab emptore pro majore summâ , ob primam venditionem solvendâ in futurum venditori , ut usurarius damnatur.*

DISPUTATIO XXXII.

De permutatione , commodato , censibus &c.

Quia non tantum res pro pretio mutuo consensu permuntatur , sed etiam res pro re , vel usus aut fructus rei sive gratis , sive sub obligatione pecuniam vel obsequium præstandi transfertur , aliæque per consensum obligationes personis vel rebus per voluntatem contrahentium imponuntur , secundum diversitatem materiæ & formæ varia in jure tum civili tum Canonico contractuum genera præter emptionem & venditionem exprimuntur , quorum obligationes præcipuae ut expendantur sit

QUÆ-